

XVI
F-29
O R A T I O

AD SANCTISS. D. N.
GREGORIVM DIVINA
PROVIDENTIA PAPAM XIV.

PRO SERENISSIMO DVCE FERRARIÆ
ALFONSO II. ESTENSI,

Obedientiam ipsius nomine præstante Illustrissimo
& Excellentissimo Philippo Estense,
S. Martini Marchione.

*Habita ab Io. Francisco Terzanio Cremona
I. C. Ferrariense*

Romæ, ix. Kal. Martij. M. D. XCI.



SUPERIORVM PERMISSV.

ROMÆ, Ex Typographia Vincentij Accolti, in Burgo.

ORATIO

ABBATIS NICOLAI DE

GREGORIVM DIVINA

PROVIDENTIA PAPAM XIV

PRO SERENISSIMO DUCI FERDINANDI

ALFONSO II. ESTENSE

Obedientiam ipsius nominis prefatus Illustrissimo


& Excellentissimo Philippo Episcopo

S. Martini Medionensi.

Abbas de S. Martini Medionensis

A. C. Ferraricus

Rome, ex Kal. Martij. M. D. XCII.



R. 99073

A D
S. D. N. GREGORIVM
DIVINA PROVIDENTIA
PAPAM XIII.

Oratio

PRO SERENISSIMO DVCE FERRARIAE
ALFONSO II. ESTENSE.



V D I T O obitu, dicam veriùs, ad Cælum ascēsu Optimi & Beatissimi Pontificis Urbani huius nominis septimi, Boni omnes, & probi sūmo affecti dolore, perculsi animis, & prope consternati fuerant, qui scilicet in longè maxima illius sapientia & probitate salutis vniuersi Christiani orbis spem omnem collocauerant. Mali contrà, atque improbi summa exultauerunt lætitia, & persuasum habuerunt, adducti nescio quibus terrenis, vt in omnibus assolent, ratiocinationibus, fieri vix posse, vt consequentibus proximis Comitijs alius æquè bonus & pius ei substitueretur; &, si consequentibus proximis Comitijs, non nisi post diuturnas, graues, & permagnas difficultates. Sed ecce summum Christianorum creatum Pontificem post alterum ferme exactum mensem, quàm se Patres in Conclauē recepissent, fatemur; post nonnullam eorundem studiorum, & voluntatum varietatem, non inficiamur: Sed hæc omnia Deo semper Opt. & Max. qui solus attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, haud dubiè permittente, scilicet vt ab humana inquisitione elicitæ, & seiuncta diuina illius voluntas, illustrius affulgeret, & splenderet. Nam, Deus bone, quem demum, & qualem delegerunt Patres concordibus

suffragijs in Pontificem? illū sanē, quem Christianę rei præ-
sens status, nempe supra omnem fidem turbulentus expo-
scebatur. Nicolaus Sfondratus, Patricius Mediolanensis, Car-
dinalis Cremonensis nuncupatus, Christi Dei Vicarius re-
nuntiatus est. Accepto hoc nuntio, boni, omnem exuentes
merorem, felicibus illum acclamationibus exceperunt. Ma-
li, aduersus quorum desiderium res prorsus cecidit, oppido
quàm commoti sunt animis, conturbati, exterriti. Diuer-
sarum affectionum vna fuit causa. Equidem ex studijs suis,
sicut sapiens dicebat, intelligitur puer, si munda, & recta
sunt opera eius: indicat pueritia adolescentiam, & iuuen-
tutem: quæ consequētes sunt hominis ætates, ex transa-
ctis pendent totæ. Elucebant in Nicolao puero illustres si-
gnificationes antiquissimæ & nobilissimæ familiæ suæ, quæ
transducta ex prouincijs externis in Italicum solum, Medio-
lani, illustrissima in primis ac celeberrima, Vrbe firmissima
iicit fundamenta. Auum habuit Io. Baptistam, & Patrem
Franciscum, quorum virtutes nulla vnquam reticebit vetu-
stas, vtrunque virum optimum, illum pro Mediolani Duci-
bus apud Summum Pontificem, cæterosque Principes, gra-
uissimum in omni vita oratorem, quodque munus adusque
extremum obitus diē in amplissima Venetorum Vrbe egre-
gia obiuit cum laude: Franciscum Ducis quoque Mediola-
ni Senatorem, & Caroli illius Quinti Immortalis famæ ac
gloriæ Cæsaris intimum Consiliarium, Senarumque Cu-
stodiæ (Gubernatorem vocant) Præfectum: & exinde cha-
rissima ipsius Coniuge vita functa, Ecclesiæ Dei Episco-
pum, Archiepiscopum, & Cardinalem Amplissimum, quas
dignitates perhonorificè sustinuit omnes. Parumq̃. abfuit,
sicut memorat Historia, quin ipse, sextum ætatis annum su-
pra quinquagesimum vix agens, in locum demortui Ponti-
ficis Pauli III. Pontifex crearetur, sed alto Dei consilio tan-
tus manebat filium honos. Qui ab optimis parentibus si-
gnata vestigia quàm diligenter persecutus est, eadem. s. præ-
ditus bonitate, eisdem excultus studijs, eodem actus spiritu,
& cum esset coniunctissimus, vt sanguine, ita & animo cum
Paulo

Paulo fratre suo Barone Sfondrato nuncupato, homine virtute animi, & ciuiliū rerum vsū, & prudentia planè admirabili; vterq; magnis Principibus, atque in primis Philippo Austriaco Catholico Regi, & Carolo patre Filio dignissimo, vixit multis nominibus acceptissimus. Subinde Senioribus Ecclesiasticis alijs distentis grauib; curis, Nicolaus quasi alter Timotheus D. Pauli discipulus accepit etiānum Iuuenis Cremonensem Episcopatum administrandum: in quo sacrosancto munere obeundo, nemo hominum (quod idem Sanctus Paulus eundem monebat Episcopum suum Timotheum) illius contempsit iuuentutem, sed cum laude obseruauerunt omnes, & suspexerunt. Dicat ipsa clarissima, & nobilissima Vrbs Cremona, quæ annos plus minus triginta admirata est, illum in excelso illo dignitatis gradu collocatū, in se ipsum seueritatis, in alios benignitatis & mansuetudinis partes laudabiliter sustinentem, simulq. omni tempore pietatis, prudentiæ, integritatis, illustria edentem documenta, quibus tum Sacros, tum profanos fidei suæ commissos homines, ad idem honestum vitæ institutum mirificè incitabat. Interfuit Tridentino Concilio, in quo singularis eius virtus admirabiliter elucescens, eum reliquis sacræ illius Synodi patribus egregiè commendauit. Accedit ad præstantissimas laudes Nicolai Sfondrati illa, quæ magna equidem intercessit, consuetudo, & familiaritas inter ipsum, & Carolum Cardinalem Borromeum Mediolanensem Archiepiscopum, virum spectata probitate, & pietate ornatum. Huius rei gratia sub exitum vitæ amplissimi illius præsulis, profectus est Episcopus Cremonensis Mediolanum, vt gratularetur illi, & Vrbi, collatum à Deo opt. max. ingens ab sæuo contagionis morbo liberationis beneficium. Qua de re publice habuit Episcopus Sfondratus eloquentem iuxtà & piā concionem, cuius etiamnum celebris viget in animis & sermonibus hominum memoria. Impiger Nicolaus ad omnia, sed ad pietatis, & Christianæ mentis officia super omnia, qui præcipuè sacrosanctas frequenter habuit Synodos, quibus Ecclesiæ suæ dignitatem & retinuit, & auxit. Quibus per-



motus magnis virtutibus, atque adeo insigni probitate, qua sine, quæ specietenus sunt virtutes, turpia re ipsa sunt vitia, adiunxit illum sacro huic vestro Collegio PP. Illustrissimi & Reuerēdissimi, bonorum omnium magno applausu summus Pontifex Gregorius XIII. cuius gratā omnibus & periucundam memoriam in assumpto Pontificio nomine renouavit Pater Sanctissimus. Cauete autem, putetis Episcopum Cremonæ Cardinalem creatum, & tanto auctum & cumulatum honore, remisisse aliquid aut de integritate vite prioris, aut de diligēti suæ Ecclesiæ administratione. Sanè ille, primū suum religiosè admodum viuendi institutum retinuit, atq; adeo illustravit, pariq. semper cura, & solitudine suæ præfuit Cremonensi Ecclesiæ, à qua non diligitur tantum, vehementerq. amatur, sed tanquam diuinus quidam homo è cælo in terras missus, planè obseruatur & colitur. Iā verò quid de illius Pontificatu, ad quem summum dignitatis gradum, vos PP. Amplissimi, Sancto edocti spiritu, magnis illum studijs euexistis certò pronuntiare possimus, ac debeamus, accipiant immenso cum gaudio omnes quicumque Christiano censentur nomine, ex diuino illius ore, cuius ipse gerit vices in terris, qui sicut non potest falli, ita nec fallere: Qui fidelis est, ait, in minimo, & in maiori fidelis est. profectò mihi legenti in sacro Codice quæ præfatus sum sacra verba, visum est eodem intuitu hæc quoque disertè legere: Qui fidelis fuit in minore Episcopatu Cremonæ, in maximo etiam Ecclesiæ vniuersalis Episcopatu fidelis erit. Beatissime Pater, amant in te omnes, & summa cum veneratione exosculantur tuam illam præstantissimam in rebus maximis animi moderationem, & in omni tempore perspectissimam probitatem. Adducuntur verò omnes in maximā & summā de tuo Principatu spem, vel ex ipso tuo nomine. Quandoquidem nullus fidelium ambigit, homines, cum sacra lustrali vnda abluuntur, diuina quadam dispensatione interdum sua sortiri nomina. Nicolai nomine insignitus tu fuisti, & Nicolaus Pontifex sanctus impetrauit precibus à Domino Deo, vt eo ipso die, qui eum præcessit diem, quo ipse conscendit cælum, hoc

tu

tu conscenderes solium proximum celo. Præclarè hoc indicat, alterum te Nicolaum tuæ affuturum Ecclesiæ. Auro ille alienam egestatem, & inopiam subleuauit. Auro item castas Virgines, ne polluerentur, cōseruauit, & à certissimo eripuit periculo. Auro tu, quod in sanctos erogandum vsus, sapientissimus Deus patitur ab Ecclesia sua possideri, à subiectis tuis famem, & plurimas quæ illos circumstāt calamitates depelles. Auro item impiorum, ne integras commaculent bonorum mentes, contumaces, & superbas ceruices contundes. Hæc te bona, atque huiuscemodi multa Christianæ Rei publicæ & daturum, & præstaturum, omnes lætis augurātur votis, pro certo habentes Sanctum Dei spiritum, pro saluari Catholicæ suæ Ecclesiæ regimine cunctos mouere, actus tuos dirigere, fouere; & propterea vix te facere posse alia nō consideratissimè, quod diuinis commendabat laudibus sanctus Doctor Bernardus ijs in libris, quos scripsit ad Eugeniū Pontificem Maximum. Porrò electionem de te factā in summum Dei Vicarium, opus eiusdem solius Dei fuisse demonstrant multa, illud inter cætera, quoniam pleriq. omnes tantam rem, humana quadam trutina expedientes, satis eam mirari non possunt. Planè fuit ab eis persæpe ex humano more animaduersum, diuturnam in vrbe commorationem ad tale Ecclesiastici honoris fastigium, gradum esse, pluribus quidem de causis certum, ac firmum; propterea videntur sibi intelligere haud posse, quid causæ fuerit, cur tu omni licet honore dignus, qui tamen Romæ neque annos tres vixeris, ad summum ascenderis Pontificatum, omnibus antepositus; sed quibus integritas, & virtus tua est explorata, ij omnino statuunt voluisse immortalem, & præpotentem Deū, pro infinita sua in suam Ecclesiā charitate constituere te Pastorum, & Pontificum Pastorem & Pontificē, qui sancta præditus voluntate, nullis terrenis cōsilijs, aut auxilijs, quasi præcipuis muneris tui fundamentis innitereris, sed vnum intuens Deum in omnibus vnum per fugium tuum, omnem locares in eo spem tuam. Quibus sanè nominibus venire in dubium nemini debet, tuum hūc per gradus veræ, hoc est Christi-
stianæ

Stianæ Sapiētiae ad Apostolici fastigij maiestatem ascensum
Alfonso Esten. Duci Ferrariae Serenissimo lætissimum, &
iucundissimum extitisse: qui sanctam erga Ecclesiam Roma-
nam in omni vita conseruauit piam mētem, integram, atque
inuiolatam, quam gloriatur accepisse se à Deo simul cum
maioribus suis, sacro sanctæ sedis huius, difficillimis etiam tē-
poribus, eximijs cultoribus, omnia Alfonsus eidem secun-
da, & felicia ex animo iugiter deprecatur. Christi Dei nomē,
cunctis profligatis aduersarijs, vbique gentium & terrarum,
sanctissimè vt colatur, mirum exoptat in modum. omnes im-
pios diuersum sentientes, molientes, attentantes, & auersa-
tur, & perfecto odit odio. Percupit aliquam sibi tribui fa-
cultatem conferendi fortunas, res suas omnes, ipsum deniq;
caput ad sanctæ huius Sedis amplitudinem, & gloriam. Cu-
mulat verò Alfonsi Principis gaudium, quòd non tantum
videt optimum esse delectum Pontificem, in cuius virtute
totius orbis reponitur salus, sed eum videt, quo cum ante an-
nos ab hinc per multos, mutua officiorum exhibitione coniū-
ctus viuit, ab eo præsertim tempore, quo Paulo Baroni Sfon-
drato, de quo antea habita est à me mentio, tuo, Sanctissime
Pater Fratri, cōiuncta fuit matrimonio Sigismunda eadem
Esten. Familia Serenissima prognata, & soror Illustrissimo
huic Sancti Martini Marchioni, T. etiam Sanctitati ob egre-
gias, & raras, quibus excellit, virtutes accepto & charo. lu-
cundissima hæc est Alfonso Duci recordatio, cui cum in-
genti animi gaudio venit per sepe in mentem, pulcherrima il-
la in familia tua natorum proles, cuius mater existit prima-
ria, & lectissima Foemina ex familia Estensi progenita. Gra-
tulatur autem supra modum vtrique domui, & vrbi, atque
adeo Christiano orbi, ex orientem nouum splendorem ab flo-
rentissimis Iuuenibus tui fratris filijs, Paulo Cardinali Sfon-
drato, Hercule Comite, & Francisco equite, per celebrē maio-
rum tuorum, & fratris memoriam, quos terra non contegit,
sed Cælum excipit nominibus, dignitatibus, factisq. pulcher-
rimis instaurantibus, & illustrantibus. Per hunc igitur Illu-
strissimum, & Excellētissimum Principem Philippum Esten.

S. Mar-


S. Martini Marchionem, Agnatum suum, & affinem tuum, perfoluit T. Sanctitati Alfonsus Dux, eam non modo humilem obedientiam, & fidem, quam omnes, quicunque sub Christi vexillo militant, optimo tibi iure exhibent; sed defert summa cum voluntate omne studium, & obsequium, omnem reuerentiam & cultum, quæ ab eo expectari possunt, qui sanctam in Ecclesiam Catholicam electione & proposito sit propensissimus. Tu perge vicissim, pro tua insigni bonitate, Beatissime Pater, susceptum in tuam clientelam, paterno animo intueri, complecti, fouere, neque vilo cesses tempore inter sanctissimas diuini tui muneris occupationes, & curas, largam, & copiosam tuæ pietatis, & benedictionis gratiam illi infundere. Effundit assidue Alfonsus, & cum eo effundunt omnes iusti, ardentibus insistentes votis, supplices ad Deum preces pro tua salute, & incolumitate, te vt conseruet, viuificet, beatum faciat in terra, non tradat in animam inimicorum tuorum, vt cum sancto illius adiutorio, ille sis, turbulento hoc, & periculoso seculo, bonus Euangelicus Pastor, qui scilicet oues tuas, quas cognoscis tu, & quæ cognoscunt te, summa tum prouidentia, tum charitate in Catholica pacis tranquillitate aduersus omnem prauorum infestationem egregie seruatas, ad amena, & viridia æternæ vitæ pascua propter diuini nominis laudem perducas. Quo depresso à te diuinorum munerum diuinissimo munere; Ecce illum, cuius pascis oues in terris, occursum tibi de Cælis, aientem, Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constitui, Iam intra in gaudium Domini tui, Qui est Deus Optimus maximus.

RE-



RESPONSIO
MARCELLI VESTRII
BARBIANI

Vtriusque Signaturæ Referendarij, & Secretarij
Apostolici domestici, nomine S. D. N. Grego-
rij diuina prouidētia Papæ XIII I. reddita Ora-
tioni, ab Io. Francisco Terzanio Cremona ha-
bitæ cū Illustrissimus, & Excellentissimus Phi-
lippus Estensis S. Martini Marchio, Alfonsi II.
Estensis, Ducis Ferrariæ Orator, pro eodem Al-
fonso Duce in Consistorio publico, in Palatio
Apostolico, apud Sanctū Perrum habito, eidem
Gregorio Pont. Max. obedientiam præstaret.



*OMNANUM Pontificem, Phi-
lippe nobilis Marchio, summi non
solum Pastoris, sed proceris munus
gerere; eorum, qui temporali Sedis
Apostolicæ ditioni parent, magni-
tudo testatur. Horum autem magni-
tudinem pietatis in primis cultus
constituit, animi celsitudo demonstrat, generis claritas illu-
strat, virium denique potentia confirmat. Alfonsi ceriè
Ferrariæ Ducis, cuius nomine præsentis Legatione fun-
geris, dignitatem, singula hæc seorsum ornant, omnia si-
mul*

mul augere, orator concione merito extulit, tu ipse praesentia tua magis refers, virtute melius exprimis. Neque enim ea per alium, quam per te, & iisdem plane ornamentis conspicuum, & Alfonso Duci agnatione proximum, & Sanctitati suae affinitate coniunctum, dignius hoc tempore representari, aut Apostolicis laudibus applicari verius a quoquam potuerunt. Eum igitur Romanam Ecclesiam, ut decet, agnoscentem, Sanctitas sua paternè complectitur; debitam obedientiam praestantem, in fidem recipit; opes, ac vitam offerentem, tueri pollicetur. Auxilium sua causa à Domino assiduis deprecationibus implorari, letanter audit; &, ut sine intermissione id fiat, à subditorum pietate requirit: Cum Deo enim facilius eo pacto coniungi, & ab iniunctis oneribus releuari valde confidit. Pastoris nimirum charitas, & regentis auctoritas tunc maxime sustinetur, cum pijs fidelium precibus innititur, & cum idem Pastor ac Rector in Divinae bonitatis praesidio devoto in primis corde spernit.

